



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 21. Circa Altare, & eius Ornatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

CAPVT XXI.

Circa Altare, & eius Ornatum.

PROBL. LXXVII.

Pyxis, in qua recipienda est Eucharistia, debet, & non debet esse benedicta.

quod est Nicenum 2. Canon. 9. Accedit Ecclesie consuetudo, quam satis indicant illa verba Sacerdotis ad Altare post Consecrationem accedentis: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquie hic sunt.* Sic Canonista ad Caput Placuit. Syluest. v. Altare. 9. 1. Armil. ibi. 7. 5. Scortia l. 2. c. 14. n. 4. Azor. tom. 1. l. 1. o. c. 27. q. 8. addens, ira Sanctorum reliquias ad consecrationem Altaris pertinere, ut sine reliquiis appositis consecratio non valeat. Censet vero sufficere, si subtus Altare fixum reliquie Sanctorum sint condite.

Minime apponi necessario debent, vel ad substantiam consecrationis Altaris, vel ad aliquis Ecclesiastici precepti obseruantiam. Quia ex usu constat moderno, & arguitur constare ex antiquo, Canones namque contrarium non conuincunt, ut ex contextu Conciliorum facile deducitur. Et si olim preceptum fuit apponendi reliquias in Altaris saltem fixi consecratione, certe iam cessauit, per contrariam consuetudinem, quae praecipue videtur inducta, quoniam in tanta Templorum & Altarium multitudine cerarum Sanctorum reliquie vix possent omnibus adhiberi. Ita Hugo, & Astien. apud Syluest. citat. Angel. v. Altare n. 3. D. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 3.

Censuerim, ad Ecclesie attinere Praefules, prouidere, si commodum possit, ut antiqua consuetudo reponendi reliquias in singulis Altaribus perseueret, si quidem perseuerat Sacerdotis Oratio, *Per merita Sanctorum, quorum reliquie hic sunt.* Quamvis enim sufficienter verificetur illa verba, quoniam aliquando vel in Altari, vel in Templo vere reliquie sunt, et quandoque desint, tamen magis formaliter, & proprie verificabuntur, ubi re vera reliquie fuerint repositae. Affero tamen nullatenus esse de substantia consecrationis Altaris, si omnino desint.

PROBL. LXXIX.

Quoties in ligno, quo clauditur Ara consecrata, fuerit paruus ille lucellus, quo reliquie conduntur, amoto ligno a lapide, tollitur, & non tollitur consecratio.

Altare viaticum, quando consecratur cum reliquiis diuersimode solet habere sepulchrum, & sigillum, (sepulchrum dicitur paruus lucellus, in quo reliquie conduntur: sigillum vero vocatur operimentum sepulchri aut lucelli.) Nam interdum lignum ipsum est sepulchrum, & lapis sigillum; interdum in ipso lapide sepulchrum apponitur & sigillum: & tunc vel non additur lignum, vel additur solum ad conseruationem, & augmentum Altaris.

Igitur quoties in ligno fuerit sepulchrum, per amotionem lapidis a ligno ipsum tollitur consecratio. Quia praeterquam quod ex cap. 1. de consecrat. Eccles. constat, reliquiarum sepulchrum (saltem quando consecratur Altare cum reliquiis) est de substantia consecrationis: Vnde quando sepulchrum est in ipso lapide ac dimouetur ab ipso, consecratio

PROBL. LXXVIII.

In Ara consecrata debent, & non debent Sanctorum reliquie reponi.

Debent profecto. Quia in Cap. Placuit 26. de consecr. dist. 1. praecipit Concilium Africanum, ut Altaria, quae sine reliquiis euerantur. Idem habetur in Concil. Carthagin. 5. f. 14. Consonat Concilium septimum generale

SCOBAR
Theob. Mor.
Tom. II. IV.
F. IV.

perditur, quamvis lapis non sit in ligno: & quando sepulchrum in ligno adest, & ab ipso lapis amouetur. Sic Syluest. *v. Altare*, n. 6. Angel. *ibi*, n. 2. Armil. n. 11. Sa correctus n. 1. Henric. l. 9. c. 18. n. 1. Azor. *tom. 1. l. 10. c. 27. g. 12.* Laym. *lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 3.* Reginald. *lib. 29. num. 192.*

425 Altare portatile vel fixum per amotionem, *Non tollitur*, aut fractionem sepulchri; vel sigilli, non amittit consecrationem. Quia nec illud sepulchrum vel sigillum est de consecrationis essentia, vel substantia, sicut nec reliquiarum appositio: nec in eo forma consecrationis, vel Altaris consistit, nec id vlllo iure cauetur. Ita Suar. *d. 21. sect. 5.* Coninch. *g. 83. n. 240.* Auerla *quæst. 11. sect. 13.* Franc. de Lugo *de Sacrament. lib. 5. cap. 8. qu. 3. n. 25.*

426 Idem assero. Nam in *cap. 1. & 3.* relatis solum deciditur, Altare consecrationem amittere, si tabula ipsius, seu mensa, in qua est sigillum, frangatur; non quia sigillum frangitur; (potest enim ea fractio contingere, quamvis sigillum maneat illæsum) sed quia mensa lapidea frangitur, quæ per se immediatè consecratur.

PROBL. LXXX.

Quoties Altaris cornua, quæ assolent ungi, franguntur, perditur, & non perditur Altaris consecratio.

427 Perditur planè. Quia in cornibus Aræ per fractionem consecratio recipitur. Quare sublatis per fractionem, seu diminutionem consecratio deficiet. Sic Syluest. *v. Altare*, n. 6. g. 8. Armil. *ibi* num. 10. quos sequuntur Bonac. *dist. 4. q. ult. punct. 9. n. 15.* & Henric. *l. 9. c. 28. num. 1. lit. K.*

428 Minimè perditur. Quia contraria sententia nullo iure fulcitur. Quamvis enim vñctio fiat in omnibus, tota tamen mensa seu Aræ consecratur; ideoque dum debita quantitatis formam retinet, quæ scilicet capiendò Calici cum patenâ sufficiat, consecrationem non amittit, cum adhuc maneat apta consecrationi. Ita Laym. *l. 5. tr. 5. cap. 6. num. 5.* Card. de Lugo *dist. 20. num. 75.* Suar. *dist. 81. sect. 5.* Coninch. *quæst. 83. n. 239.* Fagund. *præc. 1. l. 3. capite 22. num. 4.*

429 Cum his opinor. Nam in dubio nec execratio præsumi debet, nec iteranda est consecratio. Quidquid igitur sit de cornuum fractione consecratio Altaris non amittitur, quoties una eius pars Calicem cum patenâ capit.

PROBL. LXXXI.

Parua Palla, qua Calix cooperitur, est & non est de essentia ornamentorum Altaris.

430 Vidimus *sect. 1.* requiri paruum pallam seu filiolum, qua Calix cooperitur. Hæc quidem non est de essentia ornamentorum Altaris, potestque proinde serica esse, ac non benedicta,

Quia si necessaria esset ex lineâ telâ esset elaboranda sicut corporale: at vltus obtinuit paruas hæc pallas elaborare serico, vel auro, vel in modum reus. Quicquid mos idè receptus est, quia parua palla non tangit immediatè species consecratas sicut corporale. Sic Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 5.* Moure *part. 3. c. 5. §. 11. num. 10. & 12.* Manuel *in sum. tom. 1. cap. 247. num. 18.*

Quandoquidem iuxta præsentem Ecclesiæ morem corporale non sufficit ad Calicem operiendum, hæc parua palla tam necessaria est, quam corporale ipsum, ideoque benedicta, & lineâ saltem quoad interiorem partem, quæ Calicem attingit: nam in exteriori potest esse, vel auro, vel serico, vel in modum reus elaborata. Quia sic Missale præscribit *in ritu celebrandi §. 1.* Ita Suar. *d. 81. sect. 6.* Filliuc. *tr. 5. n. 125.* Reginald. *l. 29. n. 195.* Fagund. *præc. 1. l. 3. c. 21. n. 2. & c. 22. n. 11.* Valq. *d. 233. c. 4.*

Certè iuxta præsentem praxim communionem parua palla pars est corporalis & per consequens necessarium ornamentum, & eandem materiam, ac benedictionem requirit. Cuius omissionem mortale ex suo genere esse peccatum reor, oppositamque sententiam vix esse probabilem.

PROBL. LXXXII.

Purificatorium, ad abstergendum Calicem, debet, & non debet esse benedictum.

Benedictum esse non debet. Quia id nullo iure cauetur, nec in Missali præscribitur, nec vllibi eius benedictio apponitur. Sic Bonac. *d. 4. q. vltim. punct. 9. n. 22.* Card. de Lugo *d. 20. n. 76.* Reginald. *l. 29. num. 205.* Suar. *d. 81. sect. 8.* Gavant. *in Missal. p. 2. tit. 1. lit. A.* Auerla *qu. 11. sect. 13.*

Purificatorium debet esse benedictum. Quia quod de corporalibus generaliter præscribitur, de Purificatoriis etiam est capiendum, scilicet ob ministerij reuerentiam, ac puritatem. Et quia vt edocet D. Thom. 3. *p. 82. a. 3.* Eucharistia ob reuerentiam ipsi debita à nullâ re tangitur, quæ non sit consecrata. Vnde corporale, Calix, & manus Sacerdotis consecrantur, ad tangendum hoc Sacramentum: At etiam Purificatorium tangit illud, quando scilicet eius reliquæ in patenâ manent, vel in Calice: debet igitur benedici. Ita Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 12.* Fagund. *præc. 1. l. 3. c. 1. n. 30.* Franc. de Lugo *de Sacram. l. 5. c. 7. q. 7. n. 36.*

Hic hæreo, ratus, haud consequenter à Missali præscribi benedictionem mapparum Altaris, quæ minus attingunt Eucharistiam si nollet Purificatorium benedici. Vnde cum in fine Missalis ponitur benedictio tobalearum, seu linteaminum Altaris, reor ibi comprehendi Purificatorium, quod primo cooperit Calicem, deinde patenam, & ipsis abstergendis deferuit. Quare tutius erit illud, sicut reliqua linteamina benedici. Tutius dixi, quia oppositam sententiam tutam esse existimo.

PRO

PROBL. LXXXIII.

Præter Corporale requiruntur, & non requiruntur tres Mappæ in Altari ad Missæ celebrationem.

436 **D** Vafolūm mappæ præter corporale requiruntur vna totum operiens mensam, altera brevior supra Aram: imò sufficit vna plicata. Quia sic vltus habebat. Sic Palud. Innocent. quos sequitur Syluest. v. *Missæ*, n. 2. Armil. ibi, n. 6. Suar. d. 81. sect. 6. Fagund. præc. 1. l. 3. c. 2. n. 11. Henric. l. 9. c. 28. n. 3. Laym. l. 5. r. 5. c. 6. n. 11. Filliuc. r. 5. n. 24.

437 **T**res Mappæ præter Corporale requiruntur. Quia Pius V. in suo Missali, dum §. 10. de defect. occurrenti in Missa agit inter alios numerat, Si Altare non sit tribus mappis ornatum. Et Clemens VIII. in suo Missali in Rubricis generalibus §. 10. inquit: Altare operiatur tribus mappis seu soboleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictionis, Superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. Ità Ang. v. *Missæ*, n. 35. Card. de Lug. d. 10. num. 76. Auerl. quæst. 1. l. 1. sect. 13.

438 **I**am quidem duæ Mappæ non sufficiunt præter corporale. Quia illa Rubrica saltem obligat sub veniali. Quare non possunt non mitari Doctores aliquos scribentes post Clementem VIII. hanc obligationem non aduertisse.

PROBL. LXXXIV.

Mortale peccatum est, & mortale non est peccatum, sine Mappis celebrare.

439 **E**t mortale. Quia est contra communem et totius Ecclesiæ consuetudinem graviter cōducenem ad huius sacrificij reverentiam. Sic Syluest. Navar. Medina. Sotus, & alij, quos sequitur Fagund. præc. 1. l. 3. c. 2. n. 13. Suar. d. 81. sect. 6.

440 **M**ortale non est, sed ad summum veniale, si ne secundo linceo celebrare. Quia res non est tam gravis. Ità Azor. rom. l. 1. c. 28. g. 8. Mour. p. 3. c. 5. §. 11. n. 8. Angel. v. *Missæ*, & alij assentes, si necessitas celebrandi vigeat, tres mappæ non suppetant, vnam sufficere, vel saltem, lectulo contemptu, & scandalo, non esse mortale. Imò Mour. adicit, etiam si non vigeat necessitas, veniale solum esse piaculum.

441 **E**go autem existimo, si qua adsit necessitas, excusari mortale peccatum, si verò nulla sit necessitas, & adhibeatur duplex solummodo mappæ, forsan esse veniale: si apponatur vnica, forsan esse mortale. Nec enim est facile materiam gravem à levi circa singula præcepta discernere.

PROBL. LXXXV.

Mappa Altaris debent, & non debent esse benedicta necessario.

Necessario benedictæ esse non debent. Quia id in iure non cauetur, nec consuetudine asseruatur. Sic Suar. d. 81. sect. 6. Fagund. præc. 1. l. 3. c. 2. n. 10. & 13.

Benedictæ debent esse. Quia sic expressè Missale præscribit. Ità Card. de Lugo dist. 20. num. 76. Auerl. quæst. 1. l. 1. sect. 13. Gabr. in Canon. lect. 13. Syluest. 9. Benedictio, n. 5. Azor. to. 1. l. 10. cap. 28. quæst. 8. Bonac. dist. 4. quæst. vltim. punct. 9. num. 25. Qui tamen addunt, in casu necessitatis, vt cum alia non habentur, posse mappas laicorum adhiberi, & deinde sicut prius vltibus applicari profanis; quia non fuere nisi ad tempus sacro ministerio deputata.

Equidem à peccato non excusarem, citra ullam necessitatem mappas non benedictas adhibere, vel ipsarum non curare benedictionem. Non tamen reor, id fore mortale; quia talis benedictionis omisio non habet coniunctam magnam sacrificij irreuerentiam. Si qua verò necessitas subesset, nimirum celebrandi die festo, (quin etiam profesto), nec haberi possent mappæ benedictæ, putarim excusari veniale peccatum, ne sacrificium ob illum defectum omittatur. Mappas verò semel celebrationi adhibitæ rursus profanis vltibus applicare non audeam.

PROBL. LXXXVI.

Corporale potest, & non potest ex Cannabe fieri.

Non potest. Quia c. *Consulto*, purum, lineum vel lineum tereno lino procreatum exigit: sed Cannabis specie differt à lino iuxta peritorum existimationem: Ergo Corporale fieri non potest ex Cannabe. Sic Syluest. v. *Benedictio*, n. 5. Suar. d. 81. sect. 6. Filliuc. r. 5. n. 125. & alij.

Potest Corporale ex Cannabe fieri. Quia licet Cannabis specie à lino differat, tamen vltus communis tam ex Cannabe, quàm ex lino conficit vestes etiam intimas, & albas, quæ quidem indifferenter vestes lineæ reputantur. Quin telex Byssina tenuissima (Hispanè *olandas*) fieri dicuntur ex cannabe. Ità Tabie. v. *Missæ*, n. 10. Armil. ibi n. 6. Reginald. lib. 29. num. 195. Azor. rom. l. 1. c. 28. quæst. 8. Bonac. d. 4. quæst. punct. 9. num. 24.

Ego quidem, vsu receptum existimò, Altaris pallas, imò Corporalia ex cannabe, apud Oppida illa, vbi cannabis germen magis quàm lini profuit, elaborari. Cui præxi cap. *Consulto* non repugnat. Quoniam in antiqua lectione dicebat. *In puro linceo*, vel *linceo*, sub disunctione: quasi significans, sufficere quodlibet lineum propriè dictum. Et idem de Mappis Altaris à fortiori asserendum.

PROBL. LXXXVII.

Corporalia, reliquaeque Altaris mappae possunt, & non possunt ex Gossipio Hispanae, Algodon, perfici.

448 **N**on possunt. Quia cap. Consulto praeficitur Corporalia elaboranda esse ex lineo puro, vel lineo, quod vocabulum à lineo etiam ducit originem: sed Gossipium linum non est: Ergo ex Gossipio fieri non possunt Corporalia, nec Mappae, quae elaboranda ex lino sunt. Moure p. 3. c. 5. §. 11. n. 8. & alij.

449 **F**ieri Corporalia, & Mappae possunt ex Gossipio. Quia Plinius lib. 19. c. 1. narrat ex Gossipio fieri linea xylinea, quibus nulla vel in candore, vel in mollietate sunt praefenda. Ita Azor. 10. 1. l. 10. c. 28. g. 8.

450 **S**cio, tam in finis, quam in Philippinis Tela Xylina, seu Gossipina (sinabasa vocitant) vestibus etiam intimis deservire. At cum Plinius indicet, aliisque doceant, Gossipium esse lini genus candidissimi, ac molliissimi, non putarim improbabilem Azoris sententiam, praefertim ubi praxis coeperit induci.

PROBL. LXXXVIII.

Peccat, & non peccat venialiter qui sine causa duas saltem candelas in Missa celebratione non accendit.

451 **V**eniam sufficit candelam accendi, ut sine veniali piaculo quis celebrare valeat. Quia non datur praecipuum rigorose cogens ad accendendas duas; praecipuum namque illud Rubricae Missalis Clementis VII. §. 20. maiorem solummodo respicit decentiam. Sic Suarez distinct. 81. sect. 6. Graff. lect. 2. cap. 43. num. 1. Filiuc. tract. 5. num. 126. Tolet. Chamberota, Coninch. Azor. Manuel. quos sequitur Bonac. distinct. 4. quastion. vltim. puncto 9. numero 31. Fagund. prac. 1. lib. 3. capit. 22. num. 18.

452 **N**on sufficit vnicam succendi candelam, ut venialiter sine veniali culpa Missa celebretur. Quia verè in re licet levi, Missalis, Rubrica violatur. Ita Nuñez 3. p. q. 83. art. 4. dub. 3. Franc. de Lugo de Sacram. lib. 5. cap. 7. quastion. 7. numero 25. & alij.

453 **E**go crediderim, satis obligare Missalis Rubricam (duas saltem candelas requirens,) iuxta subiectam materiam: & per consequens illum qui sine causa candelam vnicam adhiberet, venialiter delinquentem. At ratione necessitatis, vel ob causam etiam non valde grauem nullam esse culpam, vti Laym. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 17. & Diana p. 2. tr. 14. resol. 67. asseruere.

PROBL. LXXXIX.

Mortale est peccatum, & non est peccatum mortale sine cereo lumine celebrare; licet enim, & non licet lumen Olei adhiberi, vel in necessitate.

454 **M**ortale peccatum est, vel in necessitate sine lumine cereo Missam celebrare. Quia Mortale patitur violatur vniuersalis Ecclesiae consuetudo, quam approbat Missalis Rubrica de defectibus occurrent. in Missa §. 10. n. 1. ubi ponitur inter alios defectus, si non sint luminaria cerea. Vnde Acolyti Ceroferarii dicti sunt, cap. Cleros, dist. 21. Sic Henric. l. 9. c. 26. n. 3. & c. 29. n. 7. Fagund. prac. 1. l. 3. c. 22. n. 17. Suar. indicat. d. 81. sect. 6.

455 **P**eccatum mortale non est in necessitate olei lumine celebrare, quod adhiberi coram Eucharistia assoler, dum ablit contemptus, & scandalum. Quia haec Ecclesiae consuetudo non censetur in necessitate obligare: nec indecens valde est, lumen olei, Missae celebrationi adhiberi, quod sine indecentia Eucharistico tabernaculo continuo fulgurat. Ita Suar. & Fagund. citati Valq. 3. p. d. 233. n. 25. & 26. Nuñez 3. p. q. 83. art. 4. dub. 3. Bonac. d. 4. q. vlt. punct. 9. n. 31. Diana p. 2. tr. 14. resol. 67.

456 **I**n necessitate licere putarim. Sed requiritur, qualis debeat esse necessitas. Manuel in summ. In necessitate rom. 1. c. 247. n. 12. grauissimam requiritur putat, licet licet non ut violetur praecipuum, quod ipse grauissimum arbitrat. Suar. Fagund. supra, & Reginald. l. 29. n. 196. sufficere existimant, quod circa candelam non possit haberi, quamvis Missa ex deuotione dicatur. Sed addunt, hoc antequam fiat, non esse consulendum: tolerandum verò, si factum fuerit. Ego quidem simpliciter reor in necessitate licere; quoniam illa vetustissima Ecclesiae consuetudo, quamvis non sit grauis necessitas, me iudice non vget, dum alio ex capite tot exurgant, si Missa ideo omittatur, incommoda.

PROBL. XC.

Licet, & non licet in necessitate cum lumine sebaceo, vel ex adipe, vel simili ex materia celebrare.

457 **M**inimè licet. Quia id esset indecentissimum, & ab Ecclesiae more prorsus alienum. Vnde in quacumque necessitate mortale erit cum tali lumine Missam dici. Sic Suar. d. 81. sect. 6. Reginald. l. 29. n. 195. Fagund. prac. 1. l. 3. c. 21. n. 25. Filiuc. tract. 5. n. 126. Villalob. rom. 1. tr. 8. diff. 26. n. 4.

458 **L**icet planè. Quia id nec iure veratur, nec vsus Ecclesiae videtur in necessitate obligare. Ita Azor. 10. 1. l. 10. c. 28. g. 8. Nuñez 3. p. q. 83. n. 3. dub. 3. Card. de Lugo d. 20. n. 77. Auersa q. 11. sect. 13. Bonac. d. 4. q. vlt. punct. 9. n. 24. Zanard. Pitigian. & Homob. quos sequitur Diana p. 2. tr. 14. resol. 45. Laym. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 11.

Existimo

Sectio II. De Missâ, Problemata. 145

458
Existimo, ob causam etiam non valde gra-
uem celebrari licere cum igne ardente in sebo,
modo ablit scandalum. Sed prima sententia
libenter magis adhaerim.

PROBL. XCI.

*Mortale crimen est, & mortale non est,
sine Cruce celebrare.*

459
Mortale est. Quia magnam eius omisso ir-
reuerentiam continet, cum Missalis Rubri-
ca sapè præscribi caput inclinandum esse Cru-
ci super Altare collocatæ. Sic quidam Docto-
res apud Fagund. *prac. 1. l. 3. c. 2. n. 7. 32.*

460
Mortale non est. Quia nec in iure præcipitur,
nec res secundum se secluso contemptu, grauis
esse videtur. Ita Suar. *d. 81. sect. 6. Regin. l. 29. n. 197. Villalob. tom. 1. tract. 8. diff. 26. n. 6. Ho-*
mophon. in exam. p. 1. tract. 4. c. 15. q. 143. Diana
p. 2. tr. 14. resol. 45. Filliuc. tr. 5. n. 123. Bonac. d. 4. q. ult. p. m. 9. n. 30. Vasq. d. 233. n. 27.

461
Sicut alia Rubrica non inducunt in le-
ui materia grauem obligationem, sic in præ-
senti solum admittit existimo obligationem
sub veniali. Imò cum quolibet causa excusat,
à peccato veniali, nunquam Sacerdos venia-
liter delinquet sine Cruce celebrando, quia ipsa
sola Missæ celebratio sufficit ad excusandum à
veniali peccato, nè scilicet tanto sacrificio pri-
uetur Ecclesia.

PROBL. CXII.

*Liber deest, & Sacerdos adeò est instru-
ctus, & sic de sua memoriâ confidit, vt
moraliter non dubitet, se cuncta per-
fectè recitaturum: sine Missali hic po-
terit, & non poterit celebrare sine le-
thali culpa.*

462
Non potest sine lethali culpa. Quia in re
tam graui non est ita memoriæ fidendum
cum aliquo labendi periculo, quod prudenter
semper est formidandum. Et quidem circa Ca-
nonis verba periculum obliuionis, aut omissionis
subire graue est peccatum. Sic Fagund. *prac. 1. l. 3. c. 21. n. 23. Coninch. q. 83. n. 251.*

463
Potest sine culpa lethali, imò absolutè licet,
quando moraliter non subest errandi pericu-
lum, & abest contemptus, & scandalum. Quia
tunc non fit sacrificio irreuerentia, nec mora-
le errandi periculum. Vnde communiter ex-
citantur Sacerdotes illi, qui cum legere non
possint ob visus debilitatem, adhuc celebrant,
memoriter Missam recitantes, & videntes quan-
tum satis fit, ad reliquas Missæ actiones ritè
peragendas ita Auerla *quæst. 11. sect. 13. Laym.*
lib. 5. tract. 5. c. 6. num. 17. Vasq. d. 233. num. 27.
Diana p. 2. tract. 14. resol. 46. Card. de Lugo d.
20. num. 78. Petr. de Ledefm. sum. 10. l. 1. de Eu-
char. c. 20.

464
Ego quidem hanc sententiam probabiliter
admodum existimo. Monuerim autem cum
Diana, si Missale deest, librum alium adhiben-
dum eius loco propter adstantes, vt scandalum
Esob. & Menâ. *Theol. Moral. T. III.*

virari possit. Certè facilius permitti potest,
celebratio sine libro coram solo ministro, quam
coram multis adstantibus, vbi timor ipse laben-
di Sacerdotem in maiori lapsus periculo fortas-
sè constituit.



CAPVT XXII.

Circa Vasa, ac Sacras Vestes.

PROBL. XCIII.

*Bonâ sine Sacerdos celebrat in Calice, &
Patena non consecratis: eo ipso ma-
nent, & non manent Vasa eius-
modi consecrata.*

465
MANENT quidem consecrata. Quia
Ecclesia polluta alia reconciliatione
non eget, si quis in ea celebravit: Er-
go Calix, & Patena consecratione aliâ aut bene-
dictione non indigebit, postquam in illis est ce-
lebratum. Certè per contactum sanguinis Do-
minici sanctificatur Calix, & per contactum
corporis sanctificatur patena: Ergo aliâ con-
secratione seu benedictione non indigent, cum
nulla possit tali contactui æquiuale, per quem
iam non manet materia profana, sed sacra. Sic
Celest. *in compend. Theol. tr. 8. c. 5. q. 9. Trimarchi*
& Peyrin. quos sequitur Franch. de Nigro in ad-
dit. ad Ruiz p. 6. animaduers. 8. n. 4. Diana p. 2.
tr. 14. resol. 69. & p. 5. tr. 13. resol. 68.

466
Consecrata
non manent.
Consecrata ea vasa non manent. Quia tam
consecratio Calicis, & patenæ, quam benedi-
ctio mapparum, corporalium vestiumque sacra-
rum fuit per Ecclesiam introducta, designatis sci-
licet certis ritibus & verbis per determinatas
personas adhibendis ad hæc valide consecran-
dum, seu benedicendum: Ergo dum talis ritus,
& talis forma verborum per idoneam personam
non adhibentur, non erunt verè consecrata. Ita
Fagund. *prac. 1. l. 3. c. 21. n. 15. Card. de Lugo d. 20.*
n. 91. & Doctores, qui edocent, Ecclesiam pol-
lutam per celebrationem Missæ non reconci-
liari.

467
Idem asserunt. Nam Ecclesia non celebra-
tioni Missæ, sed præscriptis à scriptibus & verbis
adscribit veram consecrationem, quam ipsamet
in vasis, linteis, ac vestibus requirit. Fateor, Ca-
licem, & patenam per contactum illum aliquam
dignitatem moralem acquirere, ob quam ipsis
aliqua veneratio debeat: non tamen acqui-
runt illam sanctificationem, seu consecrationem,
quam Ecclesia requirit in eis, vt ritè sacris mi-
nisteriis deferuiant. Quare secundam senten-
tiam reputo in praxi tutam. Primam autem non
ita per locum intrinsecum. De probabilitate
quidem per locum extrinsecum mihi addubi-
tandi pungit stimulus.